



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Sylvester Papa. 31. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

31. Dec. VITÆ SANCTORUM. 817
tu bonum quæris ? Coheres Christi quid
gaudes, quia socius es pecorum ? S. August.
in Psal. 102.

S. SYLVESTER PAPA. 31. Decemb.

PAtria SYLVESTRO Roma, Romæ,
hoc est, patriæ, pater ipse SYLVESTER
fuit. Hoc tamen orbare Romanum Urbis
probrum Tarquinius voltuit. Sed SYL-
VESTER ad tribunal citatus, novo mo-
re morte in judicii reus indixit. Dictum,
factum. Piscem dum cœnat, os forte
ex hoc gutture receptum Tarquinius ha-
mum mortis esse sentit. Post hæc dum
Constantinus remissius rem Christianam
curat, & sopitæ nuper iterum in
pios persecutio[n]es r[ec]rudeſcunt, exul
SYLVESTER monte in Soracten insidet;
impietatis fœditatem, ut videret Im-
perator, leprâ inficitur. Sacrificuli, le-
pram ut abluat, balneas è parvolorum
sanguine suadent. Ingemunere ad con-
ſilium impium omnes Romanæ matres,
cùm audirent sanguini, quo vel ma-
num aspergere scelus semper non ex-
piandum habitum est, totum velle Imper-
atorē innatare; certè innatare rectius
tot matrum lacrimis jam poterat. Et
verò ejulatus, & comploratio totâ urbe
facta aures Imperatoris exoravit, facti-
que pœnitens, censuit ipse hoc quoque
ingens scelus esse, facere scelus voluisse.

Fff

In-



818 VITÆ SANCTORUM. 31. Dec.
Interea principium Apostolorum species
dormienti oblata vocare *Sylvestrum* jus-
sit, qui sanctiores illi thermas osten-
deret. Vocavit, & Christianis undis
lotus, lepram corporis animique exuit.
Triumphum *Sylvestro* mortuo anno ccc.
xxxv. cælum decrevit. Ex Baronio.

Mittitur *Virginis Filius*, *Filius Dei al-*
tissimi, & jubetur occidi, ut vulneribus
meis pretioso sanguinis sui balsamo medea-
tur. Agnosce homo, quām gravia sunt vul-
nera, pro quibus necessē est Dominum Chri-
stum vulnerari. S. Bern. serm. 3. de Nat.

S. BARBATIANUS CONF.
31. Decembris.

B ARBATIANUS Sacerdos Antio-
chiā Romam venit, credo ut virtus
viri, & prodigia facilius inde in orbem
se defunderent. Etenim cūm sub adven-
tum suum cæcum, alteramque oculis la-
borantem puellam curasset, oculos om-
nium in se vertit: & cūm servulum Imp.
Valentiniani per scalas precipitem in pe-
des erexit, ipsum sibi Imperatorem de-
vinxit. Igitur à Placidiā Augustā Ra-
vennam deductus, auctor huic cœpit
esse, ut D. Ioannis, quem Evangelii
stam dicimus, honori templum augu-
stum moliretur. Persuasit, & ubi ad
fastigium fabrica fuit deducta, ecce ipse
Divus Joannes Pontificali habitu insignis

zdem